948,1
Magn.

948.1
Tes

Ex Editione
Hafniensi
Arna Magnæa
-na

1719

TESTAMENTUM MAGNI REGIS NORVEGIÆ.

conſcriptum

ANNO CHRISTI

M CC LXX VII.

Nunc primùm é tenebris erutum
et in publicam lucem productum.

HAFNIÆ, Typis WIELANDIANIS,
ANNO CHRISTI M DCC XIX.

Landsbokasafn
1719.

Imprimatur,
S. LINTRUP.

Lectori S.

Venerabilis nobis esse debet recordatio MAGNI Norvegiæ Regis, Haqvini filii: Magni, inqvam, illius, qvi Anno Christi M CC LXXX. mortem oppetiit, ac ob restitutam Regno suo Justitiam, indefessumqve in corrigendis veteribus Norvegiæ Legibus studium, LAGABÆTER, id est *Legum Emendator*, vulgo cognominatur. Erat ille (uti ex prisci ævi monumentis constat) Princeps justus, mitis, beneficus; verbo, bonus atqve integer. Pietatem et in pauperes munificentiam præsens ejus TESTAMENTUM, triennio ante mortem conscriptum, abundè monstrat. Extat illud in Regiæ Universitatis Hafniensis Bibliothecæ Codice membraneo, qvadringentorum circiter annorum ætatem habente. Hinc ego exscripseram: non eo animo, ut seorsim ederetur; sed ut pluribus aliis istiusmodi melioris notæ vetustis tabulis junctum aliqvando in lucem prodire posset. Verum propositum mutare coëgit Vir Nobilissimus atqve Eruditissimus JOACHIMUS WIELAND, Secretarius Regius; cui fortè illud videndum exhibui, atque in egregio Thormodi Torfæi Historiæ Norvegicæ opere desiderari dixi. Is enim Testamentum hocce statim à me poposcit, qvasi di-

gnum, qvod è suâ, qvam nuper adornavit, Typographiâ, primitiarum vice], in publicum separatim exiret. id qvod amico rei literariæ promovendæ cupido denegare non potui. Cæterùm exigui hujus opusculi editione laudem non qværimus. At operam nos penitus lusisse, vix, Lector, dices, ubi heic inveneris, qvot bellicas naves singulæ Norvegici Regni Provinciæ olim, cum necesse esset, subministraverint; qvod sine hac chartâ, nisi fallor, ignorares. *Skipreida* priscis Norvegis dicebatur certa Provinciæ pars, cujus incolæ unam *navem* cum omni apparatu, tempore belli *expedire* tenebantur. Reliqva, qvæ in hujus tabulæ commendationem jure dici possent, lubens omitto, ne libelli Præfatio ipso libello prolixior evadat. Neqve opus erit, singula Tibi inculcare, observaturo spontè, qvid heic præcipuè notatu dignum occurrat. Vale itaqve, benigne Lector, ac, ut nobis ad majora præstanda animum addas, studiis nostris fave. Hafniæ, Nonis Octobr. Anno Christi MDCC XIX.

Arnas Magnæus.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Amen. Qvoniam ſicut tempus labile labendo deficit, ſic cum fugâ temporis temporales deficiunt actiones à memoriâ hominum, niſi vigorem recipiant à teſtimonio litterarum: ideoqve mortis incertum tempus dubioſqve rerum eventus certâ bonorum ſuorum ordinatione ac litterarum teſtamentalium teſtimonio, diſcretorum ſolet providentia prævenire. Hinc eſt qvod nos Magnus Dei gratia Rex Norvegiæ, de ſalute animæ noſtræ pié recogitantes, mortisqve incertum tempus certâ bonorum no-

noſtrorum, nobis à Deo collatorum, ordinatione, ſani et incolumes corpore, prævenientes, ad honorem Dei Patris omnipotentis, et filii ejus Jeſu Chriſti, et Spiritus Sancti, et glorioſæ ſemper-virginis Mariæ, beatiqve Olavi Martyris, ac omnium Sanctorum, in noſtrorum remiſſionem peccaminum, teſtamentum noſtrum condimus: hanc formam decernentes obſervandam, qvantum ad leganda et donanda indigentibus, in diverſis regni noſtri partibus conſtitutis; videlicet qvod ab aqvilonaribus partibus inchoantes, gradatim usqve ad partes auſtrales, ad loca, prout in ſubſcripto continentur, determinato numero deſcendamus.

Et primò hoc eſt teſtamentum noſtrum apud Halehgeland, (1) ubi tresdecim ſunt Skipreidæ, qvod triginta (2) marcas uſualis monetæ conferimus; ita qvod tres marcæ in qvamlibet Skipreidem (3) depu-

1.) *rectius ſcriberetur:* Haleghelаnd.
2.) *lege omnino*: triginta novem marcas.
3.) *reſtitue:* Skipreidam, *ut analogia ob-*

deputentur, ad emendam annonam vel vaccas in usus pauperum. Et eodem modo fiet in aliis provinciis post notatis.

In Provinciam qvæ dicitur Naumdela fulke, ubi sunt novem Skipræidæ, viginti septem marcas conferimus.

In Provinciam qvæ dicitur Sparbyggia fulke, ubi sunt octo Skipræidæ, viginti qvatuor marcas conferimus.

In Provinciam qvæ dicitur Eina fulke, ubi sunt septem Skipræidæ, viginti unam marcam conferimus.

In Provinciam qvæ dicitur Verdæla fulke, qvindecim marcas conferimus.

In Provinciam qvæ dicitur Skeina fulke, ubi sunt qvinqve Skipreidæ, qvindecim marcas conferimus.

In Provinciam qvæ dicitur Stiordæla fulke, ubi sunt octo Skipreidæ, viginti qvatuor marcas conferimus.

 In

servetur. imò, alterum illud, Skipreidem, *pro calami lapsu haberi forte poterit, non secus ac hic idem librarius inferius pag.*14. *lin.*5. septingentes marcas *scripsit, ubi* septingentas *legendum esse, qvivis videt.*

In Provinciam qvæ dicitur Strindar fulke, ubi ſunt octo Skipreidæ, viginti qvatuor marcas conferimus.

In Provinciam qvæ dicitur Gauldæla fulke, ubi ſunt decem Skipreidæ, triginta marcas conferimus.

In Provinciam qvæ dicitur Orkadals fulke, ubi ſunt octo Skipreidæ, viginti qvatuor marcas conferimus.

In Provinciam qvæ dicitur Nordmôra fulke, ubi ſunt ſexdecim Skipreidæ, qvadraginta octo marcas conferimus.

In Provinciam qvæ dicitur Raumdela fulke, ubi ſunt octo Skipreidæ, viginti qvatuor marcas conferimus.

In Provinciam qvæ dicitur Sunmôra fulke, ubi ſunt ſexdecim Skipreidæ, qvadraginta octo marcas conferimus.

In Provinciam qvæ dicitur Firda fulke, ubi ſunt qvindecim Skipreidæ, qvadraginta qvinqve marcas conferimus.

In Provinciam qvæ dicitur Sygna fulke, ubi ſunt ſexdecim Skipreidæ, qvadraginta octo marcas conferimus.

In Provinciam qvæ dicitur Horda fulke,

ke, ubi ſunt triginta duæ Skipreidæ, nonaginta ſex marcas conferimus.

In Provinciam qvæ dicitur Ryggia fulke,(4) ubi ſimiliter ſunt triginta duæ Skipreidæ, nonaginta ſex marcas conferimus.

In Provinciam qvæ dicitur ægda fulke, ubi ſunt qvindecim Skipreidæ, qvadraginta qvinqve marcas conferimus.

A loco qvi dicitur Ryarbit, usqve ad Provinciam qvæ dicitur Borgarſyſlo, (5) ubi computantur ſexdecim Skipreidæ, qvadraginta octo marcas conferimus.

A Kamborn usqve ad Svinaſund, qvi ſunt termini Borgarſyſlo, ubi computantur ſexdecim Skipreidæ, qvadraginta octo marcas conferimus.

A Svinaſund usqve ad Albiam, ubi ſunt ſexdecim Skipreidæ, qvadraginta octo marcas conferimus.

Item in ſuperioribus partibus Regni:

In Provinciam qvæ dicitur Gudbrandalom,(6) triginta marcas conferimus.

4.) *rectius*: Rygia f. *unico.* g.
5.) *corrige*: Borgarſysla.
6.) *corrige omnino*: Gudbrandzdaler.

In Provinciam qvæ dicitur Hada fulke, triginta marcas conferimus.

In Provinciam qvæ dicitur Heidmork triginta marcas conferimus.

In Provinciam qvæ dicitur Rauma fulke, etiam triginta marcas conferimus.

Hæc autem ſupradicta legata, ut major de noſtro teſtamento certitudo haberetur, fecimus ſub certo numero, et congruis ſuperſcriptionibus appoſitis ad ſingula, Bergis in Clauſtro Fratrum Minorum, loco tuto reponi, in noſtrâ præſentia, nobis in remiſſionem peccaminum, et indigentibus ad ſolatium, ac omnipotenti Domino(7) gloriam & honorem.

Ad omnium autem notitiam volumus pervenire, qvod qvædam ſunt ad noſtrum ſpectantia teſtamentum, qvæ in noſtrorum remiſſionem peccatorum jam exſolvi fecimus ratione teſtamenti.

Primo, Clauſtro Sanctimonialium de Rein, Nidroſienſis dyoceſis, contulimus præ-

7.) *lege:* omnipot. Dom. ad glor. & h.

prædia, annuatim ſolventia triginta marcas uſualis monetæ.

Item pro Præbendâ, qvam inſtituimus, Deo cooperante, in Cathedrali Eccleſia Bergis, perſolvimus prædia ſolventia annuatim ſexaginta coſinata; ut videlicet â qvolibet ſucceſſore illius Præbendæ dicatur ſuper Altari Præbendæ aſſignato, miſſa pro defunctis fidelibus; et in ſpeciali anima patris noſtri, matrisqve noſtræ et noſtra Domino inter ſacramiſſarum ſollempnia commendetur; et ad hoc faciendum in perpetuum, litteras obligationis ſuſcepimus â Canonicis dictæ ſedis. Adjecimus etiam, ut pia Canonicorum omnium excitaretur devotio pro hac parte, pro Communi ipſorum, centum marcas monetæ uſualis.

Item Clauſtro Sanctimonialium Nunneſæte(8) in civitate Bergenſi, contulimus prædia annuatim ſolventia ſeptuaginta coſinata; et hoc ex bonis, qvæ nobis ex maternâ hæreditate attinere dignoſcuntur.

Item

8.) *corrige*: Nunneſæter.

Item Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Sancti Martyris Hallvardi in Asloya, prædium trium marcarum usualis monetæ contulimus, ut anniversarium nostrum in perpetuum facere teneantur, cum de hac vitâ nos Dominus evocarit: super qvo nobis litteras obligatorias assignaverunt Canonici dictæ sedis, qvod ad hoc fideliter in perpetuum teneantur.

Item Ospitali(9) Sancti Stephani Tunsbergis, dyocesis Asloënsis, contulimus prædium persolvens annuatim viginti marcas.

Item ad Claustrum Ordinis Præmostracensis,(10) dictum Mariskogh, dyocesis Asloënsis, contulimus prædia decem marcarum usualis monetæ.

Et hæc in prædiis seu possessionibus persolvi fecimus; in denariis vero:

Monacis Ordinis Sancti Benedicti de Holm, Nidrosiensis dyocesis, persolvimus centum viginti marcas sterlingorum, ut oblatas et vinum ad consecrationem

9.) *intellige:* Hospitali.
10.) *corrige:* Præmonstratensis.

nem ſacroſancti corporis et ſangvinis dominici tam clericis ſecularibus qvam clauſtralibus memoratæ dyoceſis miniſtrare in perpetuum teneantur; præſertim qvia nobis ad hoc litteras obligationis aſſignaverunt, qvod ad hoc fideliter in perpetuum teneantur.

Item Prædicatoribus Nidroſiæ contulimus duodecim marcas ſterlingorum.

Item Canonicis Majoris Eccleſiæ Bergis, perſolvimus centum viginti marcas ſterlingorum, ut oblatas et vinum ad conſecrationem ſacroſancti corporis et ſangvinis dominici, univerſis tam clericis ſecularibus qvam clauſtralibus ejusdem dyoceſis miniſtrare in perpetuum teneantur. Adjecimus etiam triginta marcas ſterlingorum, ut anniverſarium noſtrum, annis ſingulis, in die debito anniverſarii, celebrare in perpetuum teneantur; præſertim qvia nobis etiam litteras obligationis ad hoc aſſignaverunt, qvod hoc facere fideliter in perpetuum teneantur.

Item Prædicatoribus Bergis contulimus

mus duodecim marcas ſterlingorum.

Item Fratribus Minoribus Bergis, duodecim marcas ſterlingorum contulimus; et ad ædificium ejusdem clauſtri ſeptingentas marcas uſualis monetæ.

Item contulimus Sanctimonialibus Nunnuſæter Bergis, qvadraginta marcas ſterlingorum.

Item ad Oſpitale Sanctæ Caterinæ Leproſorum Bergis, centum marcas ſterlingorum contulimus.

Item ad Oſpitale Pauperum apud Omnes Sanctos Bergis, ſexaginta marcas ſterlingorum contulimus.

Item Monacis Ciſtercienſis Ordinis in Lyſa, contulimus duodecim marcas ſterlingorum.

Item Epiſcopo ſedis Stafangrenſis contulimus centum viginti marcas ſterlingorum, ut oblatas et vinum ad conſecrationem ſacroſancti corporis et ſangvinis dominici, univerſis tam clericis ſecularibus qvam clauſtralibus illius dyoceſis adminiſtrare in perpetuum teneatur; præſertim qvia nobis ad hoc litteras obliga-

tionis

tionis assignaverit, qvod ad hoc fideliter in perpetuum teneatur.

Item Episcopo sedis Asloënsis contulimus centum viginti marcas sterlingorum, ut oblatas et vinum ad consecrationem sacrosancti corporis et sangvinis dominici, universis tam clericis secularibus qvam claustralibus illius dyocesis amministrare in perpetuum teneatur; præsertim qvia nobis ad hoc litteras obligationis assignaverit, qvod ad hoc fideliter in perpetuum teneatur.

Item Sanctimonialibus de Gymbeseye, Asloënsis dyocesis, contulimus triginta marcas usualis monetæ.

Item Sanctimonialibus in Asloiâ contulimus triginta marcas usualis monetæ.

Item Prædicatoribus in Asloiâ contulimus duodecim marcas sterlingorum.

Item Monacis Ordinis Cistercienfis in Hosuteyiar,(11) Asloënsis dyocesis, contulimus triginta marcas usualis monetæ.

Item ad Ospitale de Varnu, Asloënsis dyo-

11.) *lege omnino*: Hosutey, Asloën, dyoc,

dyocesis, contulimus viginti marcas usualis monetæ.

Item Fratribus Minoribus in Konunghellis contulimus duodecim marcas sterlingorum, insuper ad ædificium claustri eorum contulimus centum viginti marcas usualis monetæ.

Item Episcopo sedis Hamarensis contulimus centum viginti marcas sterlingorum, ut oblatas et vinum ad consecrationem sacrosancti corporis et sangvinis dominici, universis tam clericis secularibus qvam claustralibus illius dyocesis amministrare in perpetuum teneatur; præsertim qvia nobis ad hoc litteras obligationis assignaverit, qvod ad hoc fideliter in perpetuum teneatur.

Item in omnes Provincias subscriptas in rure, videlicet in duabus medietatibus Halegghelandiæ [12] et in duabus medietatibus Naumdale simul cum hiis in omnibus octo provinciis Trondheimiæ, Nord-

12.) *rectius:* Haleghelandiæ, *unico* g. *uti superius.*

Nordmære et Sunmære, Fyrda fulke,[13] Sogne, Vos, Nordhordaland, Sunhorduland, Ryggia fulke,[14] Agdem.[15] in omnes, inqvam, has provincias, et in respectu qvoad qvamlibet Skipreide[16], qvam continent, persolvi fecimus trium marcarum pretium in annonâ.

Istis autem superaddidimus: qvod cum nos ex hac vitâ, vocante domino, migrare contigerit, apud Fratres Minores Bergis ecclesiasticam, providente domino, eligimus sepulturam. et in hac electione sepulturæ prohibemus firmiter auctoritate Dei Patris omnipotentis, qvod nullus nostrorum, qvâcumqve nos pro-

B pin-

13.) *Superius* Firda fulke *extat, idqve melius est.*

14) Rygia fulke *scribendum, unico g. uti prius est notatum.*

15) *in codice est* Agdm̄, *qvod aliter legi neqvit qvam* Agdem. *melius tamen esset* Agdom *vel* Ager.

16) Skipreidam *appositum magis esset, ut vocula Latino more flecteretur.*

pinqvitate aut cognatione contingens vel familiaritate, obicem nobis præsumat opponere contrariæ voluntatis. Set et executoribus testamenti nostri, Dominis Asloënsi et Bergensi Episcopis, qvos per præsentes non solum instituimus, set etiam institutos confirmamus, in mandatis super animas suas injungimus, ne hanc nostram ultimam voluntatem et ordinationem permittant aliqvatenus irritari; præsertim cum super hoc litteras à sede Apostolicâ optinuimus speciales. qvarum litterarum formam, ad majorem facti evidentiam et firmitudinem, huic nostro testamento decrevimus inserendam; qvæ talis est:

Clemens(17) Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus, Asloensi et Bergensi Episcopis, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Dignâ consideratione pensantes claræ devotionis

17) *Est is* Clemens Papa IV, *qvi sedere cæpit An. Chr. 1265. die 22. Febr. obiit An. Chr. 1268. die 29. Novembris.*

nis et fidei puræ merita, qvibus cariffimus in Chrifto filius; nofter, Magnus Norvegiæ Rex Illuftris, circa fedem Apoftolicam, veluti catholicus princeps fulget: dignum ducimus, ut vota fua effectu adjuvare favorabili ftudeamus; in hiis præcipuè, qvæ ad falutem fuam pertinere confpicimus; qvam affectione paternâ qværimus et zelamur. Ex infinuatione fiqvidem Regis ejusdem intelleximus, qvod ipfe humani perplexitatem exitus, qvo nil eft incertius, circa dispofitionem certam rerum fibi defuper traditarum, confultè deliberans prævenire: de bonis propriis condidit teftamentum, ad cujus executionem Vos fpecialiter eligendos providit, tanqvam illos, de qvibus inter alios gerit fiduciam pleniorem. Qvare ad fupplicationis inftantiam Regis ipfius, Fraternitati Veftræ per Apoftolica fcripta mandamus, qvatinus laborem fufcipientes hujusmodi fuftinendum, teftamentum ipfum, qvantum ad bona illa, qvæ memoratus Rex locis aut perfonis ecclefiafticis, religio-

 fis,

ſis, vel aliis piis locis legaviſſe providè dinoſcitur, ſive aliàs in pios uſus erogare decrevit, poſtqvam Regem eundem de ſeculo iſto neqvam, jubente domino, migrare contigerit, diligenter ac efficaciter, perſeverante Rege in eâdem voluntate, exeqvi ſtudeatis: non obſtante, ſi aliqvibus à prædictâ eſt ſede indultum, qvod interdici excommunicari neqveant vel ſuſpendi per litteras Apoſtolicas non facientes plenam et expreſſam de indulto hujusmodi mentionem; contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo. Datum Viterbii, Octavo Jdus Auguſti, Pontificatus noſtri anno Qvarto.(18)

Ut autem hoc noſtrum teſtamentum robur optineat firmitatis, ipſum ſigillo noſtro et aliis ſubpendentibus fecimus communiri, ſub interminatione nichilominus anathematis prohibentes, ne aliqvis noſtrum(19) jam dictam ordinationem

18) *Id eſt: die 6. Auguſti, An. Chr. 1268.*
19) noſtram *melius qvadrare videtur.*

nem et teſtationem præſumat ſcienter, ſub prætextu alicujus temporalis honoris aut commodi, vel alicujus immutationis, irritare. Actum Tunsbergis, Anno ab Incarnatione Domini Milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, in Vigilia Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, Anno regni noſtri Qvartodecimo: præſentibus in nullo nobis aut noſtræ ordinationi præjudicantibus, ſi aliqvid aliud in futurum, inſpirante eo, à qvo juſta ſunt opera et recta conſilia, videbitur ordinandum.